



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Serenissimo Potentissimoqve Principi Ac Domino, Domino Ferdinando  
Mariæ Utriusque Bavarix ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE  
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO  
**FERDINANDO**  
**MARIÆ**  
UTRIUSQUE BAVARIÆ  
ET SUPERIORIS PALATINÆ  
**DVCI,**  
COMITI PALATINO RHENI,  
S.R.I. ARCHIDAPIFERO ET ELECTORI  
NEC NON IN PARTIBUS RHENI, SUEVIÆ,  
ET IN JURE FRANCONICO  
PROVISORI ET VICARIO,  
LANGRAVIO IN LEICHTENBERG.

*Domino meo Clementissimo*



*ND E exeunt flumina, revertun-  
tur: & reciproco undarum flexu  
ad caput pleno alveo, cursuque  
rapidissimo feruntur, ac primæ  
suæ origini tributum veluti  
quoddam, ipso naturæ ductu  
pendunt, sicque se tota in caput denuo re-  
fundendo, quicquid habent, ei acceptum  
referunt: perfectissimum gratitudinis symbo-  
lum.*

\* 4

Dubi-

Dubitandum proinde mihi omnino non fuit  
 SERENISSIME PRINCEPS, cui opus hoc Theolo-  
 gicum dicarem, cuius ei, honoris & observantiæ  
 ergo, nomen præfigerem: cum enim ex hoc Do-  
 mus Vestræ Lyceò, sublimiorisque literaturæ  
 domicilio ortum ducat, indèque in lucem pro-  
 deat, ad Te ultro, sicut flumina ad caput, primam-  
 que originem recurrit, nec fas est aliunde præfi-  
 dium ei, patrociniumque asciscere: quicquid  
 enim hinc, aliis quàm Serenissimæ Domus Tuæ  
 auspiciis in lucem prodit, inauspicatò mihi pro-  
 dire videtur.

Obversatur nimirum nobis ante oculos  
 MAXIMILIANUS Parens Tuus, cuius ut in Impe-  
 rium, totamque adeo Ecclesiam, domitis fidei  
 perduellibus, præclara extant merita, nullâ un-  
 quam diuturnitate temporis, nec quantumvis  
 longâ annorum serie obscuranda, ita singularis  
 ejus in nos pietas, & munificentia recordationem  
 perpetuam, gratique animi testificationem re-  
 quirat; &, quoties Bavaricæ domus in mentem  
 venit, illius à quo vivo tot tamque eximia in nos  
 profecta sunt beneficia, oblivisci non possumus,  
 nec nos ab ejus, quamvis jam è vivis sublatis, lau-  
 dibus pro viribus celebrandis cohibere. Si enim,  
 ut ferebant antiqui, nullibi suavius quàm supra  
 Orphei sepulchrum olim canebant Philomelæ,  
 ut è cuius viventis chely vitam quasi vigorém-  
 que hauserant, eidem artificiosis suis tractibus,  
 suavissimæque vocis inflexione parentarent,  
 suumque ejus jam vitæ functi desiderium die  
 noctuque

DEDICATORIA.

noctúque ostenderent: sic cùm Musæ nostræ ex munificentissimi Principis beneficiâ vitam quodammodo ac spiritum duxerint, totas se in ejus præconia effundere debent, omniq̃ datâ occasione illius in nos amorem ac studium celebrare, nec unquam tanti Heroïs, æternâque memoriâ, tum in Orbe reliquo, tum Microcosmo nostro dignissimi, oblivisci, sed quicquid habent vocis ac virium, curâ omni, & conatu in ejus laudibus impendere.

Jam verò, ut ad Te redeam PRINCEPS, non in minimâ Serenissimi Parentis Tui felicitate ponendum censeo, quòd quamvis ipse naturæ concessit, Te tamen vivam spirantemq̃ sui imaginem reliquit, & ut ditionum, ita heroïcarum quoque virtutum hæredem, quiq̃ splendorem ac decora, præclarâque tum belli tum pacis accepta à majoribus ornamenta, non solum integra conserves, sed generosâ indole, ingentâque animi nobilitate auctiora ad posteros transmittas. Hoc ex Bavariæ tuæ, hoc ex Imperii, interregni hujus tempore, felicissimâ administratione, vigilantissimiq̃ juxta ac prudentissimi Principis expleto munere ominamur, planéque existimamus, Te vivo, Parentem non moriturum, nec unquam ejus extinctum iri memoriam.

Inter alias verò excellentias, & dignas Principe virtutes, benignitatem, pietatem, Fideique ac Religionis zelum, quæ in eo summa fuerunt, velut hæreditarias opes accepisti, nec in hoc honoris fastigio constitutus, alio Te nomine felicior  
rem

EPISTOLA DEDIC.

rem autumas, quàm quòd eos qui Orthodoxæ Fidei propagationi student, conatúsque suos omnes ac labores, illorum, qui prava dogmata secuti, in varias se errorum syrtes ac scopulos induerunt, intricatissimisque implexi hærent labyrinthis, ad Ecclesiam reductioni impendunt, fovere, singularemque protectionem ac præsidium impertire ac præstare possis.

Tibi ergo SERENISSIME PRINCEPS lucubrationes hæc Theologicas offero, ut quemadmodum in hac à Serenissima Domo Tua extractâ Musarum fede inchoatæ, & ad finem usque perductæ sunt, ita jam in publicum prodeuntia, Tuis prodeant auspiciis, ut ex Tui nominis splendore lucis iis aliquid, & ornatús accedat. Eas ergo solitâ Tuâ benignitate & clementiâ accipe, unàque vota nostra ac preces, quibus Deum quàm possumus ardentissimè obtestamur, ut regimen Tibi felicissimum, vitæque annos plurimos ac florentissimos concedat. Leodii in Collegio Anglicano Calend. Februarii 1659.

SERENITATIS VESTRÆ

*Humillimus servus*

THOMAS COMPTONVS CARLETON  
Societatis IESV.